

CHRISTOPHORI  
BESOLDI  
J.C.

*Dissertatio Politico-Juridica,*

DE

F O E D E R U M J U R E :

*ubi in simul de*

PATROCINIO & CLIENTELA;

*ac item de*

N E U T R A L I T A T E,

*disputatur succinctè.*



A R G E N T O R A T I,

Impensis Hæredum LAZARI ZETZNERI.

---

Anno M DC XXII.

---

# LECTORI PIO ET CANDIDO SALVEM.



Objectum hujus nostræ dissertationis, non e-  
gere videtur operosiori commendatione ;  
cùm & Cicerone, *pro Cornel. Balbo* monente;  
præstabilis sit scientia in fœderibus, pactio-  
nibus, conditionibus populorum, Regum,  
exterarum nationum, in universo denique  
jure belli & pacis. Nec verò Leguleis hoc movere bilem de-  
bet, quòd non ex jure solùm scripto, decisiones sumo ; sed in  
campos latissimos juris ususque gentium excurro. Et latet  
nempe Fœderum hocce Jus, in recessibus naturæ, & distra-  
ctum variè, ac dissipatum valdè est. Quin & ipsæ quoque le-  
ges (quod Cujac. *in observationibus*, alicubi monet) politico  
Judicio dijudicari debent. Cognoscenda namque principia  
sunt, eaque prima, quibus subnixi, de jure responderunt ve-  
teres Nomothetæ; scientissimi activæ Philosophiæ: ut loqui-  
tur Hieron. Capivaccius, *tr. d. different. disciplin. c. 4. n. 40*. Ab-  
sit hîc denique præceptum judicium illorum, qui nec pro arbi-  
tratu sentire, nec item liberè dubitare quenquam sinunt;  
qui verba & clausulas captant, canumque instar dilacerant  
cuncta. Hosce potius volo, qui de opere quocunque judi-  
cant ex scribentis primario scopo, quibusque cum Celso  
nostro, *in L. Laici. ff. de supellect. legat.* prior & potentior est  
mens, quàm dicentis vox.

*Sit bonus Interpres, & nil mala verba nocebunt.*

*Sit malus Interpres, & nil bona verba juvabunt.*



## CAPUT I.

*Anné utile & licitum fiet, Fœdera  
contrahi?*



**A** M I C I S, fœderatisque, ut Imperium careat ullum, vix fieri posse videtur. *Casp. Facius. polit. Liviana, part. 1. art. 23. Jeh. de Marnix, resolut. politiq. sect. 6. resolut. 2. Zachar. Vietor, disp. d. exempt. 9. 21. à princip. Reinkingk, d. Regimin. secular. lib. 2. class. 3. cap. 3. n. 13. Gechusius apud Aruma. part. 1. Iuris publ. discurs. 28. 9. 21. item 9. 33. & seqq. multis. Remigius Felchius, dissert. d. Fœderib. 9. 1. lit. h. tom. 5. disp. Basileens. Præterquam enim, quod homo sociale animal est; quæ sanè societas, non unius Imperij terminis concludi videtur: non minimus insuper societatis is est usus, ut commercia, jure gentium introducta, humanique contractus celebrentur; quibus plurium facultatibus operisque in unum hinc inde collatis, communicatio rerum omnium institui possit: societatibus verò sublatis, commercia omnia cessabunt, nec ex copiâ unius, aliorum inopia, subsidium habebit.*

**II.** Fœdera faciunt ad securitatem in pace, in bello ad auxilia impetranda. Indeque qui alienâ ope sunt destituti, pauperes ac solitarii dicuntur: & angustia est propinqua, dum nemo existit adiutor: quod olim experta est *Lais*, in terra Sidoniorum; *Judic. cap. 18. vers. 7. & 28.* quæ facile ab Israelitis victa fuit, eâ quod cum nullo hominum haberet quicquam societatis. Ita Constantino Palæologo, Imperatori Constantinopolitano, fœdus & auxilia Venetorum, in periculo etiam præsentissimo respuenti, à Mahometo Turcarum Rege, ademptum est Imperium Orientale universum. *Remigius Felchius, dict. dissert. de Fœderib. 9. 1.* Et cur quæso Respublica ulla, aut quis populus unquam, sibi soli vivere queat: cum nullus homo solus esse velit, aut possit? Quemadmodum infelix est privatus, omni prorsus qui amico caret; ita & talis Respublica existere videtur, si destituatur fœderato. Idcirco post preces ardentes, adversus bella atque arma, quorum illationem metuimus, aut suspicamur; non aliud promptum magis, atque paratum remedium esse, quam Fœdera, si legitime inita sient, existimatur.